



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. De actu intellectus Angelici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

SECTIO IV.

De actu intellectus Angelici. S. Thomas,
q. 54. 58.

dictis de cognitione creaturarum in Verbo. Nam obiectum materiale eodem actu cognoscitur, quo attingitur obiectum formale, ut patet ex actu Fidei, quo creditur vnico actu articulus, & reuelatio, sed quando Angelus Deum cognoscit in aliqua creatura, Deus est obiectum materiale cognitum, creatura verò est obiectum formale, ergo eodem actu cognoscuntur Deus, & creatura. Neque absurdum est quod eadem cognitio respectu diuersorum, sit abstractiua simul & intuitiua: vtrum autem ille sit discursus, postea dicitur. Neque video cur neget Suarez Angelum semper cognoscere Deum perfectius ex creaturis perfectioribus, cum infinitas Dei distinctius cognoscatur ex creaturis perfectioribus, effectus enim perfectior, perfectiorem causam requirit.

Solutio
primæ dubitationis.

Ad primam Resp. primò quidem, quod naturaliter nulla potest dari cognitio quidditatiua vnus attributi diuini, vel adæquata, vel inadæquata (ut ostendi olim) quia scilicet cognitio quidditatiua vnus attributi debet esse distinctus, & proprius conceptus illius quem conceptum naturaliter non habemus: quamuis ergo supernaturaliter esset possibilis cognitio, quæ attingeret quidditatiuè aliquod Attributum diuinum, quin attingeret illud intuitiue, non sequitur tamen quod illa cognitio esset possibilis naturaliter. Deinde nego cognitionem intuitiuam vocari ex eo quod attingat existentiam obiecti, quæ (ut dixi) cognosci potest abstractiue; dicitur enim intuitiua, quia fit per speciem propriam. Esto igitur cognosci possit quidditatiuè attributum, quin cognoscatur actualis eius existentia, nego tamen illud posse cognosci quidditatiuè, quin cognoscatur intuitiue, quia non potest cognosci quidditatiuè, quin cognoscatur per speciem propriam, ut ostendi.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Resp. creaturam essentialiter pendere à tribus Personis prout sunt vnum in essentia, non autem prout distinguuntur proprietatibus: est autem magnum discrimen inter Spir. Sanct. & creaturas, nam Spiritus Sanctus ita procedit à Patre & Filio, ut Paternitas & Filiatio constituent formaliter principium productiuum Spiritus Sancti, alioqui Spiratio passiuæ nō distinguatur realiter à Paternitate, & Filiatione, cum in diuinis non possit esse distinctio, nisi ubi est oppositio, non est autem oppositio nisi ubi est productio, si ergo Paternitas, & Filiatio non producant spirationem passiuam, certè ab ea non distinguuntur. Quomodo autem hinc non sequatur quod Pater & Filius sint duplex principium spiratum, alias dictum est: At verò creaturæ non exigunt formaliter tres personas; si enim per impossibile omnipotentia existeret in vnico supposito eodem modo produceret creaturas, nam omnipotentia per creaturas cognoscitur ut existens in aliquo supposito, nō autem existens in tribus suppositis. Ex quo etiam soluitur id quod solet obijci actiones esse suppositorum, atque adeo omnipotentiam per se pendere à tribus substantijs, quia non est maior ratio cur ab vna potius pendeat quàm ab alia. Resp. enim omnipotentiam pendere formaliter in operando ab aliqua substantia, hac nimirum vel illa non autem ab vna potius quàm alia: ideoque cognita operatione omnipotentia, non cognoscitur statim triplex substantia. Patet autem quid hic significet nomen (dependentia.)

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. Angelum quando cognoscit Deum ex creaturis, vnico actu cognoscere vtrumque. Neque verò tunc cognitio creaturæ causat cognitionem Dei efficienter, sed tantum creatura cognita eodem actu est obiectum formale huius cognitionis, sicut quando reuelatio est causa credendi articulum reuelatum, & quando Deus est causa cognoscendi creaturas.

Explicatis obiectis quæ cognoscit Angelus, sequitur actus ipse intelligendi, seu modus, quo intelligit illa omnia. Vbi præter ea quæ Angelicæ intellectiōi, & humanæ communia sunt, video propria esse posse quinque quæ de Angelo quæri possint. Primum est, distinctio intellectiōis Angelicæ à substantia ipsius Angeli, siue vtrum Angelus sit sua intellectiō, vel etiam vtrum sit possibilis aliqua creatura quæ intelligat actu per suam substantiam. Secundò, intellectiōis huius Angelicæ perpetuitas, & necessitas: id est, vtrum intelligat semper omnia quæ potest cognoscere vel saltem aliqua, & per quid determinetur ad cognoscendum vnum potius quàm aliud. Tertio, intellectiōis huius simplicitas, siue, vtrum Angelus intelligendo componat & discurrat. Quarto, perfectiō extensiua, seu quàm multa cognoscat simul. Quintò, perfectiō intensiua, siue, vtrum Angelus comprehensiuè cognoscat omnia.

S. I.

Distinctio intellectiōis Angelicæ à substantia ipsius Angeli, siue vtrum Angelus sit sua intellectiō. S. Thom. q. 54. a. 1. & 2.

Id est, vtrum actualis intellectiō, & volitio etiam ipsius Angeli non sit aliquid distinctum ab ipsa substantia Angeli sed sit illa eadem entitas substantialis Angeli, prout terminata ad hoc vel illud obiectum, & connotans illud de nouo, sicut sæpius dictum est, quod intellectiō & volitio Dei non sunt aliquid superadditum & distinctum entitatiuè Deo, sed ipsa Deitas prout terminata ad obiecta, quæ cognoscit, vel amat.

Ratio autem dubitandi est, quia nulla ratio potest efficaciter ostendere quod implicet substantia creata quæ sit sua intellectiō, & volitio, ita ut nihil per intellectiōem, & volitionem superaddatur substantiæ nisi terminatio & connotatio obiecti; nō enim ostenditur hoc ita proprium esse Dei, ut nulli creaturæ conuenire possit: nam inde non sequeretur quod creatura illa esset sua actualis existentia, neque quod esset immutabilis, neque quod esset infinita; nam actiō est essentialiter actus, neque tamen essentialiter existit, immutabilitas huius substantiæ non sequitur, quia posset non existere, imò posset de nouo terminari ad obiecta quæ prius non connotabat. Denique nullo argumento demonstratur infinitam esse substantiam, quia est sua intellectiō, & per se ipsam terminatur ad obiecta, non autem per aliquid superadditum.

Dico primò, intellectiōem Angeli esse aliquid distinctum realiter à substantia ipsius Angeli, imò implicare ut aliqua substantia creabilis, sit sua intellectiō, aut volitio actualis, ita docet S. Thom. hic, & communiter Theologi omnes cum eo, contra Commentatorem 12. metaph. ad textum 95. cui ex parte consentit Durandus sentiens cognitionem Angeli de se ipso esse substantiam ipsius Angeli.

Primò ergo, ita tradunt expresse plurimi Patres, Dionys. lib. de celest. Hierar. cap. 11. distinguit in supremis substantijs substantiam, virtutem, & operationem, idem habet Ansel. l. de casu diaboli c. 8. ubi negat voluntatem Angeli, id est, eius volitionem actualē esse ipsius substantiam: & lib. de concordia gratiæ, ac libertatis distinguit voluntatem instrumentum, & voluntatem vsum: id est potentiam, & actum, S. Leo epist. 91. cap. 5. solius Dei proprium esse docet, ut sit sua

Difficultas

Conclusio
bimembriisAngeli ex
istentes.

sua sapientia, quia nullius participationis indigus est. Deinde facilis ratio est quantum spectat ad Angelos actu existentes: nam intellectio Angeli potest esse supernaturalis, & erronea atque adeo mala, quod est multo verius de operatione voluntatis, sed Angelica substantia neque supernaturalis est, neque mala; Deus enim non creat malum, ergo Angelica substantia non est sua intellectio.

Angeli
etiam
possibiles.

Proportio-
nes minus
efficaces.

Secundo tamen difficillima est ratio, quæ prober implicare substantiam quæ sit sua operatio, & mutetur duntaxat per terminationem ad obiecta. Probat id variis rationibus S. Thom. art. 1. quas merito difficiles esse fatentur Suar. lib. 2. c. 1. Valent. q. 5. p. 4. quia (inquit) impossibile est vt aliquid quod non est actus purus, sit sua actualitas, si autem esset suamet actio, esset sua actualitas, actio enim est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentia. Hæc inquam ratio difficilis est, quia ipsamet actio essentialiter actio est, & tamen non est sua actualitas, id est, sua existentia, quia posset non existere. Cum ergo dicitur actio est actualitas virtutis, si nomine (actualitatis) intelligatur existentia, negari debet, si intelligatur actuale illius exercitium debet concedi: sed inde non sequitur quod virtus sit sua existentia, quod intendebatur in argumento. Addit S. Doctor esse impossibile, vt creata intellectio sit subsistens, quia intelligere subsistens esse non potest nisi vnum, sicut abstractum subsistens esse non potest nisi vnum; disparitas tamen est inter intelligere subsistens, & abstractum subsistens; abstractum enim subsistens est ipsum esse, atque adeo est primum, & infinitum esse, quod necessario vnicum est: intelligere autem subsistens non necessario est totum esse: vel certe hoc non ostenditur.

Deinde ratio Scoti in 4. d. 1. q. 7. quam approbat Suares disp. 35. metaph. sect. 4. non videtur efficax, quia inquit, Angelus plurima de nouo intelligit, & non est semper in actu secundo intelligendi omnia, quæ potest intelligere: si autem esset sua intellectio, nihil de nouo intelligeret, quia eius substantia semper eadem manet. Eodem pertinet ratio quam habet Arubal in notis huius Articuli, quia semper Angelus intelligeret omnia quæ potest intelligere, atque semper cognosceret infinita.

Sed hoc argumento non infringitur ratio eorum, qui dicerent intellectionem Angeli esse ipsam substantiam Angeli, prout variè terminatam ad obiecta, qualem certum est esse cognitionem diuinam, sicut ergo Deus non semper cognoscit omnia quæ potest cognoscere, neque vult omnia, quæ velle potest, imò multa de nouo cognoscit existentia eo ipso, quod variè terminatur ad obiecta probandum restat, quare Angelus non possit cognoscere aliquid de nouo, eo ipso quod terminaretur de nouo ad obiectum, ad quod prius non terminabatur. Præterea non videtur efficacior recentiorum argumentatio, ex eo quod creatura, sicut non potest esse suus finis, sic neque potest esse assequutio sui finis, finis enim est id cuius gratia fit aliquid, sed si creatura esset sua operatio, creatura esset assequutio sui finis, ergo creatura non potest sua operatio. Responderi potest nullam quidem creaturam esse posse suum finem, sed non implicare vt sit assequutio sui finis, nam etiam operatio ipsa est assequutio sui finis. Cum ergo dicitur finem esse id cuius gratia fit aliquid, illud (sit) significat actionem transeuntem, vel latè admodum sumitur.

Denique argumentatur etiam alij parum efficaciter ex libertate voluntatis; si enim Angelus esset sua volitio, non posset velle, vel nolle, quia libertas esse non potest sine potestate variandi in se propositionem obiecti. Hæc enim noua propositio non fit per

Tom. I.

solum terminationem extrinsecam, alioqui obiectum deberet ignorari, quia deberet cessare terminatio potentia ad obiectum. Sed hoc etiam sustineri difficile potest, quia posset Angelus velle, vel nolle sine nouo actu per solam connotationem nouam obiecti: propositio autem noua obiecti indifferentis necessaria non est ad nouum actum voluntatis, quia eadem stante propositione obiecti possum velle, vel nolle.

Vides igitur difficiles esse rationes illas omnes donec ostendatur vim illam connotandi obiecta sine vlla sui mutatione intrinseca, oriri ex infinitate naturæ quod sic demonstrari potest: omnis cognitio finita specificatur necessario ab obiectis, & ad illa refertur transcendentaliter; cognitio enim diuina ex sola infinitate habet, quod ad obiecta solum terminetur, non autem specificetur, ergo implicat vt cognitio finita perseveret eadem secundum entitatem quin perseveret eadem secundum terminationem ad obiecta. Sed si operatio Angelica esset eius substantia mutaretur eius terminatio immutata entitate, ergo implicat vt operatio Angelica sit ipsa eius substantia. Deinde ideò tantum Deus potest sine intrinseca mutatione velle, ac nolle, quia eius actus necessarius æquiualeat omni actui, alioqui non posset esse volitio, & nolitio: amor, & odium. Sed propter infinitatem naturæ habet Deus, quod actus ipsius æquiualeat omni actui, ergo ex sola infinitate naturæ habet Deus quod sine sui mutatione intrinseca possit velle, ac nolle per solam terminationem ad obiecta. Ergo implicat vt creatura finita sine sui mutatione velit, ac nolit per solam terminationem ad obiecta. Præterea potest Angelus cognoscere obiectum, aliquando perfectius, aliquando minus perfecte, eodem prorsus manente obiecto illa noua perfectio non est in obiecto, neque in substantia ipsius Angeli, ergo est in actione ipsius Angeli.

Ratio Probabilior.

Altera etiam ratio videtur optima quæ petitur ex peccabilitate creaturæ; si enim implicat creatura impeccabilis, implicat creatura quæ sit sua operatio, sed implicat creatura quæ sit impeccabilis, ergo implicat creatura quæ sit sua operatio. Probat maior quia illa creatura est impeccabilis, quæ non potest deficere à regula recte rationis, sed creatura quæ esset sua cognitio & sua volitio non posset deficere à regula, nam volitio identificaretur cum cognitione quæ regula est, atque adeo non posset ab illa deficere, ergo esset impeccabilis.

Secunda ratio.

Vltima etiam ratio peti potest, ex cognitione reflexa, quæ (vt sæpe dixi) non potest in creaturis eadem esse cum cognitione directa, quia nulla cognitio creata potest se ipsam cognoscere, ergo implicat vt creatura sit sua cognitio, cum cognitio decreta, & reflexa non possint identificari.

Tertia ratio.

Ex his ad rationem dubitandi nihil superest quod necesse sit dicere; constat enim quod solius Dei proprium sit habere cognitionem, & volitionem immutabiles entitatiue mutabiles solum terminatiue.

S. II.

Cognitionis Angelica perpetuitas, & determinatio. S. Thom. q. 58. a. 1.

Dixi cognitionem Angeli esse operationem entitatiue distinctam à substantia ipsius Angeli, nunc inquirimus, vtrum Angelus cessare possit à cognitione, ac plene otari: an verò necesse sit vt actu semper cognoscat omnia obiecta sua quæ potest cognoscere, aut saltem, vtrum necesse sit, vt semper cognoscat aliqua.

Gg 3

Ratio

Prima dubitatio.

Ratio dubitandi primò est, quia si Angelus non potest cessare ob omni cogitatione collectiue, suspendendo suas omnes cogitationes, id ex eo tantum probatur, quia voluntas non potest imperare illam cessationem ab omni actu: sed hæc ratio nulla est, quia licet voluntas non possit imperare illam cessationem pro eo instanti quo est, potest tamen illam imperare pro instanti sequenti, in quo propter imperium præcedens, cessabit tum actus voluntatis, tum ipsa etiam cogitatio, quod etiam in nobis contingit, nam ut aliquid actu sit, sæpè requirit ut instanti præcedenti aliquid fuerit, v. g. vbicatio (B) exigit ut immediate fuerit vbicatio (A) & sæpè cum recitas psalmum aliquem, secundus versus non occurrit memoria nisi primum immediate ante prius recitaueris: ergo actus intellectus Angelici exigere potest, ut prius non fuerit actus voluntatis suspendens.

Secunda dubitatio.

Secundò, si Angelus non semper cognoscit se ipsum & suas omnes species, non poterit unquam determinare se ad cognoscendum illud obiectum, quod actu non cognoscit, quia ut Angelus velit primò cognoscere illud obiectum, debet actu illud cognoscere; voluntas enim non fertur in incognitum: ergo antequam Angelus se determinet ad illud obiectum cognoscendum; iam erit determinatus quod implicat ut est per se notum.

Assertio secunda.

Dico secundò, Angelum neque necessariò cognoscere semper omnia obiecta sua, neque posse illa simul cognoscere: posse autem cessare à cognitione cuiuslibet obiecti sui distributiue, non posse cessare ab omni cognitione collectiue.

Prima pars.

Prima pars, negans quod possit Angelus cognoscere simul omnia obiecta sua negatur à Durando, Aureolo, & Gregorio: Probatur autem argumento sæpè repetito, quia non potest Angelus cognoscere suas omnes cognitiones; vel enim cognosceret illas per unicam cognitionem, & sic cognitio se ipsam cognosceret, quod implicat (ut ostendi) vel per plures & sic haberet necessariò infinitas reflexiones distinctas realiter, quod utrumque implicat.

Aliter video ab alijs probari quod asserui, quia inquit infinitus necessariò esset actus qui attingeret infinita. Hoc autem argumentum est calculatorium sæpè reiectum. Deinde inquit obiecta, quæ potest Angelus cognoscere sunt infinita solum syncategorematicè: infinitum autem syncategorematicum est illud in quo non sunt tot, quin plura. Sed simili argumento probaretur, quod neque Deus cognoscere omnia illa posset; semper enim non sunt tot, quin plura. Itaque sic illud debet intelligi, quod non possit infinitum huiusmodi totum simul cognosci.

Secunda pars.

Secunda pars, asserens Angelum cessare posse à cognitione qualibet obiecti sui distributiue, id est ab hac, ab illa, &c. Negatur à Suare, Vasque, aliisque pluribus, qui putant Angelum nunquam posse cessare à cognitione sui ipsius. Sed mihi sanè non apparet ratio, quare Angelus magis possit cessare à cognitione aliorum obiectorum, quam à cognitione sui ipsius; si enim id efficit præsentia, certè cognoscere debet omnia, quorum habet species, nam illa præsentia sunt per vicarias species, si ergo nihil cogit Angelum ad cogitandum obiectum vllum determinatum, certè dici debet quod ille cessare potest à cognitione sui ipsius.

Tertia pars.

Tertia pars, negans posse Angelum cessare ab omni cognitione collectiue, ac quasi dormire. Communis est, & tamen meritò eam asserit Vasques difficilè probari. Ratio tamen Suaris efficax videtur, quia non potest Angelus cessare necessariò, ab omni cognitione neque liberè, ergo nullo modo potest. Probo non posse necessariò quia nulla excogitabilis est causa naturalis quæ subtrahat Angelo species omnes & om-

nia obiecta: probo non posse liberè, quia ut Angelus liberè suspendat actum intellectus, debet habere actum voluntatis, sed actus voluntatis nunquam est sine actu aliquo intellectus, ergo nunquam Angelus suspendere potest actum intellectus, quin habeat aliquem actum intellectus: ergo nunquam potest suspendere omnem actum intellectus; dum enim vult suspendere cogitabit sine dubio aliquam suspensionem, & sic aliquid cogitabit.

Assertio tertia.

Dico tertio, Angelus non potest se liberè determinare ad primam vllam cogitationem, sed ad eam determinatur vel ab obiecto præsentem, vel à Deo solo: potest autem liberè se applicare ad nouam aliquam cognitionem, per cognitionem aliam nouam cum hac posteriore connexam.

Prima pars.

Prima pars, de prima cognitione quæ scilicet non excitatur ab alia vlla cognitione connexa, videtur manifesta, quia cum libertas supponat cognitionem, implicat omnino, ut ad primam cognitionem Angelus liberè se applicet.

Secunda pars.

Secunda pars, de cognitione quæ prima non est, sed priorem aliam supponit, explicari debet magis quam probari. Dico enim, Angelum non posse se determinare ad cognitionem Petri v. gr. nisi prius habuerit cognitionem obiecti alicuius connexi cum Petro: si autem prius cogitet naturam humanam v. gr. facile poterit se determinare ad cognitionem cuiuscunque indiuidui naturæ humanæ. Si prius cognoscat se ipsum & aliquas suas species facile se determinabit ad cognitionem obiecti per illas representati; Angelus enim non potest (ut dixi) cessare ab omni cognitione collectiue, sed semper cognoscit aliquid: sed per priorem cognitionem, liberè potest voluntas excitare secundam: nam etiam hoc in nobis sufficit, ergo potest Angelus liberè se ipsum determinare ad aliquam obiecti cognitionem, & ita suas excitare species. Non est ergo necesse primò dicere, cum Gregorio quod Angelus sine cognitione potest se determinare per actum voluntatis, quasi verò voluntas ferri possit in aliquid incognitum.

Ratio Vasques.

Secundò existimat Vasques, determinationem illam Angeli esse non posse nisi à Deo solo, quod impugnat optimè Suarez, quia ita sequeretur Angelum nò posse unquam habere liberum exercitium suarum cogitationum, nam ubi determinaretur à Deo ad aliquid cogitandum, cogitaret etiam necessariò, illa omnia quæ habent cum illo connexionem: Deinde sequeretur nunquam esse in Angelo inconsiderationem imò & cogitationem à Deo immisam, nunquam Angelus posset repellere, quia non potest repellere cogitationem vnam nisi assumendo aliam, sed ex Vasque non potest assumere alteram liberè, ergo neque aliam repellere. Denique sequeretur demonem determinari à Deo ad omnes blasphemias quas cogitat.

Ratio Suaris.

Tertio, Suares ut explicet determinationem Angeli ad aliquid cogitandum, existimat esse necesse, ut ille se ipsum semper cognoscat, & species suas omnes; sic enim cognoscendo omnes suas species potest se determinare ad distinctam cognitionem obiecti per illas representati. Sed hoc etiam est difficile, quia ostendi non esse necesse, ut semper Angelus cognoscat se ipsum, quod etiam non est necesse ut cognoscat suas omnes species: si autem cognoscit suas omnes species distinctè, certè cognoscit obiecta sua omnia, quod tamen negatur à Suare.

Itaque planior videtur, & faciliior solutio quam proposui: nimirum quod cum Angelus necessariò semper aliquid cognoscat, ad illa solum liberè cognoscenda determinare possit se ipsum, quæ aliquam connexionem habent cum prævia cognitione: non posset autem ad alia se determinare.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam Resp. satis ostensum esse, quod voluntas

tas non potest suspendere omnem cogitationem; nec enim potest illam suspendere quando est, neque quando non est; nam voluntas quando non est non potest facere, id quod facere non potest, quando est: sed voluntas quando est non potest suspendere omnem actum intellectus, ergo neque illum potest suspendere quando non est. Deinde nego verum esse, quod in nobis aliquid possit facere quando non est, id quod non potuerit facere quando erat; nam quando vigilamus nunquam suspendere liberè possumus omnem cogitationem. Vbicatio (B) nunquam exigit vt prius fuerit ubicatio (A) si quando autem non recordamur versiculi alicuius, nisi prius recitauerimus præcedentem, id non oritur ex eo quod præcedens versiculus quando non est reuocet in memoriam, præcedentem versiculum, sed quia species vnus est iuncta cum specie alterius, quæ non potest excitari sine altera.

Solutio
secundæ.

Ad secundam satis ostensum videtur, quomodo voluntas quia non fertur in incognitum, non potest determinare intellectum ad cogitationem omnino primam: ad secundam autem cognitionem facile potest se determinare per priorem cum illa connexam, & in qua continetur aliquo modo confusè.

§. III.

Cognitionis Angelica simplicitas, siue vtrum Angelus discurrat. Art. 3. & 4.

Sensus
questio-
nis.

Non quero, vtrum Angelus plures cognitiones habeat distinctas, sed est per se notum, quod, vtrum plures illæ cognitiones, quas habet Angelus, faciant aliquando compositionem, & coalescant in vnā: nam in nobis secunda & tertia operatio sine dubio sunt operationes compositæ; nam in secunda operatione semper duplex est apprehensio, subiecti nimirum, & prædicati, deinde tertia, quæ vel coniungit prædicatum cum subiecto, vel illa diuidit. In tertia operatione quæ dicitur discursus, requiruntur necessarii actus distincti, quorum vnus cauſet alium; est enim progressus ab aliquo noto ad aliquid ignotum.

Difficultas igitur est, vtrum Angeli omnia vnico intuitu cognoscant sine compositione, vel discursu, adeo vt vnico actu cognoscant subiectum, & proprietates, cauſam & effectus, nō proprietates ex subiecto, neque cauſam ex effectibus, sed proprietates in subiecto, & effectum in cauſa.

Duplex
dubitatio.

Ratio dubitandi esse potest primò, quia si neges Angelos discurrere, idè tantum id negas, quia cognoscendo intuituè obiecta non egent discursu, qui est progressus ad aliquid ignotum, sed hæc ratio non videtur bona, quia nos etiam sapè discurremus in his quæ sunt nobis cognita intuituè, nam dico v. gr. lucidum esse solem, & hæc propositio mea compositio est.

Secundò, si velis illos discurrere, obſtare videtur, quia hinc sequitur Angelum non esse minus rationalem quam hominem, atque ita propria hominis differentia non erit, quod sit rationalis.

Conclusio
Bimembri.

Dico quartò, Angelus neque componit, neque discurret in his quæ cognoscit euidenter: in ijs autem quæ cognoscit ineuidenter componit, & discurret. Ita censent nunc recentiores omnes communius, contra Scotum, qui vult Angelum circa omnia discurrere, S. autem Thomas negat Angelum vnquam posse discurrere.

In quibus
non discurret
Angelus.

Prima pars optimè probatur rationibus S. Thomæ, quia quoties intellectus cognoscit vnico actu effectum in cauſis, proprietates in essentia, & penetrat totam naturam subiecti, non elicit multos actus, quorum vnus vel cauſet alterum, vel præſupponatur ab

altero, quod est necessarium ad compositionem, & discursum, sed quando Angelus euidenter, & intuituè aliquid cognoscit, vnico actu penetrat ea quæ cognoscit neque progreditur à noto ad ignotum, quia vbi omnia euidenter cognoscuntur, nihil est ineuidens & ignotum.

Secunda pars etiam manifesta videtur, quia circa res supernaturales, circa futura contingentia, circa secreta cordium, Angelus plurima ignorat, ergo in illis potest componere & discurrere, probo consequentiam, quia tunc est compositio quando duæ apprehensiones præcedunt iudicium: tunc est discursus, quando ex noto peruenitur ad ignotum, sed circa ea quæ Angelus cognoscit ineuidenter, progredi potest à notis ad ignota; conicit enim de futuris, & de secretis cordium de Christo multa sine dubio discurrens cogitabat Dæmon, cum ex eius miraculis peruenire vellet ad cognitionem diuinitatis eius.

In quibus-
dam Ange-
lus discurret.

Ad primam Resp. cognitiones omnes nostras intuitiuas esse admodum imperfectas, quia pendent à sensu, idè vtimur in illis discursu & compositione: in Angelis autem nego id reperiri, siue cognoscant obiecta immediatè, ac intuituè, siue cognoscant mediatè solum & abstractuè, nam v. g. eclipsim solis futuram sine vllo cognoscere possunt discursu, cognoscunt enim illam in ipso motu solis.

Solutio
dubitatio-
num.

Ad secundam Resp. discursuum quod est differentia hominis significare discursuum dependenter à phantasmate, non autem discursuum simpliciter.

§. IV.

Cognitionis Angelica perfectio tum extensua, tum intensua.

Id est, vtrum Angelus cognoscere possit simul plura obiecta per vnum actum, vel etiam plura per plures actus simul, quæ vocatur perfectio extensua cognitionis Angelicæ. Deinde vtrum Angelus quidditatiuè, ac comprehensiuè cognoscat obiecta sua, nam hæc est huius cognitionis perfectio intensua. Vocabam autem cognitionem quidditatiuam, in qua distinctè cognoscitur rei alicuius quidditas, & proprius eius conceptus: cognitionem comprehensiuam, in qua nihil est in obiecto quod lateat cognoscentem in qua scilicet obiectum cognoscitur quantum est cognoscibile. Quæ de re fusè aliàs dictum est. Circa pluralitatem illam obiectorum quæ possunt attingi simul ab Angelo leuis difficultas est: circa cognitionem comprehensiuam rerum inferioris ordinis.

Multiplex
questio.

Ratio dubitandi primò est, quia si Angelus superior cognoscit comprehensiuè Angelum inferiorem, & cauſas omnes creatas, necesse est vt cognoscat infinitos tum specie, tum numero differentes, imò futura omnia & possibilia, quod probo, potest Angelus naturaliter cognoscere obiecta omnia quæ produci possunt à Deo, per actus infinitos tum specie tum numero differentes, ergo quicumque intellectum Angeli comprehendit, debet cognoscere infinitos actus specie ac numero differentes, & omnia obiecta possibilia saltem indirectè, qui enim cognoscit cognitionem, cognoscit etiam omnia obiecta, ad quæ terminatur illa cognitio. Imò actus intellectus, & voluntatis quos in æternum habebit Angelus erunt infiniti: calores quos successiuè ignis potest producere, sunt infiniti: ergo quicumque comprehendit ignem, comprehendit infinitos calores, quia cognitio comprehensua debet attingere totum quod continetur in obiecto comprehenso; sed obiectum quod comprehenditur continet effectus illos omnes, etiam secundum indiuiduationem: ergo illi omnes effectus etiam secundum indiuiduationem cognosci debent.

Triplex
dubitatio.

Secundò, si vnus Angelus comprehendit voluntatem

tem alterius Angeli cognoscit omnes actus liberos, quos de facto eliciturus est: nam qui comprehendit causam cognoscit eos effectus quos illa productura est, & non eos tantum quos potest producere. Imò si comprehenderet Angelus creatam aliquam causam cognosceret etiam omnes effectus supernaturales, quos creatura per potentiam obedientialem est elicitura; vñ etiam potest elicere.

Tertiò, si Michaël comprehendit Gabriëlem manifestè sequitur quod eadem cognitio cognoscit se ipsam, nam Gabriël cognoscere potest illam sui comprehensionem, quam dicit esse in Michaële; sed Michaël cognoscit vnā cognitione omnes cognitiones Gabriëlis: ergo Michaël cognoscit vnā illā cognitionem, suam eandem cognitionem.

Conclusio
Bimem-
bris.

Dico quintò, potest sine dubio Angelus eodem tempore cognoscere plura obiecta per actus distinctos, quod est cognoscere plura vt plura: & plura etiam obiecta non subordinata cognoscere potest vnico actu indiuisibili, quod est cognoscere plura per modum vnius.

Angelus
habet si-
mul plu-
res actus
distinctos.

Prima pars videtur negari à S. Thoma, quando plura obiecta non representantur per eandem speciem. Ratio tamen est, quia in nobis tum sensus, tum intellectus, possunt elicere plures actus circa plura obiecta; simul enim plures videmus colores, per actus sine dubio plures, cum formalia obiecta sint plura. Imò quoties aliquid enunciamus, habemus actus plures simul, quia enunciatio componitur ex pluribus actibus. Addo autem contra Suarem quod quoties Angelus eo modo attendit ad plura, minus perfectè attendit ad singula, quàm si singula tantum intelligeret toto adhibito conatu, quia si non intelligeret nisi singula, ille actus esset adæquatus toti virtuti Angelicæ, quando autem elicit plures actus, illi actus singuli sunt inadæquati virtuti Angelicæ, ergo illi actus quando sunt plures, imperfectiores sunt quàm si essent soli, quod in nobis etiam experimur, qui quoties attendimus ad plura, minus perfectè attendimus ad singula propter finitatem potentia.

Cognoscit
plura vno
actu.

Secundam partem de cognitione plurium per modum vnius video à multis negari, sed immeritò, quia quoties intellectus cognoscit similitudinem, vel dissimilitudinem obiectorum, identitatem, aut distinctionem, æqualitatem, aut inæqualitatem, attingit necessariò plura vnico actu, ergo eodem actu Angelus attingere potest plura. Probatur antecedens, quia per duos actus distinctos obiectorum diuersorum, non potest vnus obiectum comparari cum altero, cum actus comparatiuus essentialiter attingat duo extrema, verbi gratia vt cognoscam duo esse similia, non sufficit quod cognoscam illa duo quæ sunt similia, sed debeo cognoscere duo prout similia: duo actus cognoscent duo quæ sunt similia, sed non cognoscent illa prout similia, quod necessariò exigit vnus actus. Deinde si species vna vniuersalis potest duo representare quare non id poterit facere vna species expressa.

Neque obstat primò, quod vnus actus vnus duntaxat potest esse obiectum formale: si obiecta verò disparata non conueniunt in vna ratione formali, ergo non possunt cognosci vnico actu.

Respondeo enim, illa plura obiecta quæ vnico actu cognoscuntur conuenire necessariò debere in aliqua ratione formali, quæ sola sit obiectum formale illius actus, alioqui non possent cognosci vnico actu, quia ex illis fieri non potest vnus obiectum adæquatum.

Neque obstat secundò, quod vnus motus vnus necessariò est terminus, vnus corporis vnica figura, ergo vnus cognitionis vnus est obiectum.

Respond. vnus motus plures esse posse terminos

inadæquatos, vnus adæquatum. Figuræ diuersæ non solum multæ sunt, & distinctæ, sed etiam se mutuo excludunt, & inuicem repugnant quod non habent cognitiones.

Quam multa verò illa sint, quæ Angelus potest attingere simul vnico actu, vel pluribus incertum est. Vulgò dici solet, quod potest vnico actu attingere illa omnia quæ representantur per vnā illarum specierum quas habent.

Dico sextò, Angelum quidditatiuè cognoscere res omnes ordinis naturalis: Angelos inferiores & omnia materialia cognoscere comprehensiuè, superiores verò Angelos licet cognoscat quidditatiuè, non cognoscere tamen comprehensiuè.

Vltima
conclusio.

Prima pars, de cognitione quidditativa rerum omnium naturalium, euident est, quia illa cognoscitur ab Angelo quidditatiuè quorum habet species proprias à Deo inditas, sed earum omnium rerum quæ sunt ordinis naturalis dictum est species Angelo esse à Deo inditas, ergo res illas omnes Angelus cognoscit quidditatiuè.

Quid co-
gnoscat
quiddita-
tiuè.

Secunda pars, de cognitione comprehensiuā omnium quæ non sunt illo superiora, probari solet, quia si obiecta illa non sint Angelo perfectiora nulla est ratio cur dicatur, quòd Angelus non cognoscat illa, quantum sunt cognoscibilia tum intensiuè, tum extensiuè. Angelum autem superiorem ob contrariam rationem non cognoscit comprehensiuè Angelus inferior quia non cognoscit eum quantum est cognoscibilis; Angelus enim inferior non potest producere cognitionem tam perfectam, quàm producere potest superior, sed Angelus superior est cognoscibilis per cognitionem perfectissimam, quam ipse potest producere, ergo Angelus inferior non potest cognoscere Angelum superiorem quantum est cognoscibilis.

Quid com-
prehensi-
uè.

Ad primam Resp. illis omnibus rectè probari quod Angelus non habet cognitionem comprehensiuā perfectissimam Angelorum inferiorum, & causarum etiam naturalium. Duplex enim (vt aliàs sæpè dixi) est rei alicuius comprehensio. Prima perfectissima est, & strictissima, quæ cognoscuntur omnes effectus, quos producere potest aliqua causa, & quos producit tum per potentiam naturalem, tum per obedientialem, & hoc modo certum est, quod Angelus non potest comprehendere res ordinis inferioris: altera est comprehensio vulgaris, & minus rigorosa, quæ cognoscuntur effectus omnes numero distincti quos secundum potentiam naturalem causa producere potest simul, & adæquate & effectus etiam specie distincti, qui addunt causæ perfectionem aliquam nouam verbi gratia vt penetraret ignis comprehensiuè, non est opus vt cognoscantur omnes calores numero distincti quos successiuè producere potest, neque omnes effectus quos obedientialiter potest facere: sed satis est quod possit calefacere, illuminare, &c. Et quot calores producere possit simul; nam illa nouam quandam designant perfectionem intrinsecam in obiecto cognito.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Vnde ad argumentum negatur, cum qui comprehendit intellectum Angeli debere cognoscere distinctè omnes cognitiones quas Angelus ille vel producere potest, vel est producturus, quia scilicet intellectus Angelicus non continet adæquate illas cognitiones sed inadæquate tantum, cum ad cognitionem, concursus exigatur obiecti, saltem per vicariam speciem: Dixi autem quod ad vulgarem comprehensionem non exigitur cognitio effectuum omnium qui continentur in causa solum inadæquate.

Instabis, hinc sequi quod nullus effectus in causa creata cognosci potest, quia non potest sola causa creata effectum vllum producere sine causa prima.

Instantia.

Imò

Imò neque in causa prima cognoscuntur effectus illi, quos non producit nisi cum causa secunda, quai illos non continet adequatè.

Resp. falsam esse utramque illam sequelam, quia causa secunda dicit ordinem determinatum ad causam primam, sine qua non potest agere, atque ita qui penetrat causam secundam cognoscit etiam effectum, ut producibile à causa prima & secunda. Intellectus autem non dicit ordinem illum determinatum ad species sine quarum consortio nequit agere, idè qui comprehendit intellectum non cognoscit distinctè omnes intellectiones quas potest habere, sed confusè tantum, cognoscendo quod cognoscere possit omnia. Causa verò increata continet etiam adequatè omnem effectum possibilem, idè quò in ea sola cognosci potest quodlibet possibile. Reliqua soluta sunt cum egi de comprehensione Dei.

SECTIO V.

De loquutione Angelorum. S. Thom. q. 107.

Angelorum lingua intellectiva est, (inquit Theophyl.) vis nimirum illa qua sibi mutuo Angeli rerum diuinarum intellectum, & diuinas cogitationes attribunt: idè intellectiōni Angelicæ loquutionem commodè subnectere solent Theologi, & fatentur insolutam adhuc mansisse difficultatem de hoc linguarum commercio inter Angelos, qui linguâ & ore carent; est enim difficillimum dicere, quid faciat Angelus loquens quando alium Angelum excitat ad audiendum, & quando in eo causat cognitionem secreti sui. Quam certè difficultatem video pendere totam ex dictis de causa productiua specierum Angelicarum.

Certum igitur primò sit, Angelos posse inter se loqui, & manifestare inuicem secreta, nam hoc ex scripturis euident est, v.g. c. 7. Apocal. clamat vnus Angelus ad alios, *nolite nocere terra & mari, &c.* & in ep. canonica S. Iudæ *Michaël Angelus cum Diabolo disputat.* Alia plura loca proferri possent: Ratio autem euident est, quia inter creaturas rationales naturale omnino est, ut secretas cogitationes vna alteri manifestet: & hoc politica etiam societas necessariò requirit, quam reperiri certum est inter Angelos.

Certum est secundò, posse vnum Angelum loqui simul pluribus, & ab iis etiam audiri, quia nos etiam possumus. Deinde posse vnum Angelum loqui alteri secreto, ita vt ab alio etiam presente non audiat; esset enim maxima imperfectio si Gabriel non posset pandere vni secretum suum, quin omnibus illud panderet, sed neque dubitari potest, quin vnus Angelus loqui possit alteri Angelo distanti, & quin Angelus inferior loqui possit Angelo superiori, nam hæc omnia necessaria sunt ad societatem politicam, & cum inter homines etiam ipsos reperiantur, multò magis necesse est vt inter Angelos non desint.

Certum est tertio, loquutionem Angeli nihil esse aliud, quàm actum quo alteri declarat, id quod ipse vult aut cogitat. Verbum enim externum, vt ex logica ipsa constat, significat semper verbum internum mentis, & obiectum externum, quod per conceptum mentis representatur. Itaque vt vnus Angelus alteri loquatur, necessaria sunt quatuor. Primum est actus internus Angeli loquentis manifestandus Angelo audienti. Secundum est voluntas illum manifestandi. Tertium est cognitio huius actus elicitæ ab Angelo audiente. Quartum est medium quo Angelus loquens de facto ingenerat in Angelo audiente nouam illam cognitionem: hoc enim est necessariò aliquid nouum per quod excitatur Angelus audiens.

De hoc ergo medio tota est huius difficultatis obscurissima controuersia, nam de illo tripliciter video authores sentire primo aliqui censent illud esse ali-

quid omnino extrinsecum Angelo tùm loquenti, tùm audienti, & hæc vocant signa. Secundò alij volunt illud esse aliquid intrinsecum soli Angelo loquenti, & omnino extrinsecum audienti. Tertio malunt alij, illud esse intrinsecum Angelo audienti productum ab Angelo loquente. Quæ tria sigillatim expendenda sunt, vt tandem, quid videatur verisimilius explicari possit.

§. I.

Utum loquutio Angelorum fiat per aliquid extrinsecum Angelo tùm loquenti, tùm audienti.

Prima ergo sententia docet Angelum non posse loqui alteri, nisi formando aliquod signum vocibus nostris haud ab simile, quo representetur instrumentaliter cogitatio secreta Angeli loquentis, quæ signa dupliciter solent defendi.

Primò enim Durand. Argentina, Ægid. cum quibus Arriaga etiam videtur sentire, dicunt signa hæc corporea esse, ac sensibilia, vocibus nostris similia, formata in aëre, vel in altero corpore vicino: siue illa sint sonoræ voces, similes nostris, siue figuræ quedam descriptæ in aëre, vel certè motus quidam locales ipsorum Angelorum suscipientium varias figuras, quod erit loqui per nutus,

Secundò, Gregorius, Marsil. Molina, Albertin. Arriag. putant signa illa quibus Angeli loquuntur esse qualitates quasdam spirituales formatas per actum Angeli loquentis, vel in ipso Angelo loquente, vel in Angelo audiente, vel in vtroque simul, quæ respondeant nostris vocibus corporeis, significentque omnino ad placitum. Formationem enim horum signorum vocant loquutionem Angelorum, & illa diuersa signa varias Angelorum linguas, quarum cognitionem infuderit illis Deus ab initio, sicut Adamo infudit cognitionem hebrææ linguæ.

Dicendum tamen primò est, loquutionem Angelorum non esse productionem signorum sensibilibus aut spiritualibus factam per voluntatem Angeli loquentis. Ita fusè probant Suar. l. 2. c. 26. Valq. disp. 111. c. 9. & 10.

Prima pars negans fieri loquutionem hanc per signa sensibilia, multis rationibus probari potest, ista satis sit: quia non potest substantia spiritualis pendere à corpore, in sua locutione quæ debita ipsi esset etiam si nulla essent corpora: sed si nulla essent corpora, non posset Angelus formare signum vllum corporeum, quia nulli subiecto posset illud imprimere, ergo Angelus non loquitur per formationem signi vllius corporei. Confirm. quia signum illud corporeum, vel est vox aliqua similis nostræ, vel descriptio alicuius figuræ: si primum Angeli loquuntur vt corpora, quod absurdum est: si secundum, non loquuntur, sed scribunt.

Secunda pars, de signis spiritualibus probatur etiā efficaciter. Primò, quia signa hæc sunt omnino inutilia, vt per ea cognoscat Angelus audiens secretum Angeli loquentis, nam posito eo signo, vel adhuc exigitur species, vt per illud cognoscatur ab Angelo audiente, vel nõ exigitur: si exigitur species, ergo necessarium non erat illud signum, nam æquè benè poterat produci species ipsius conceptus secreti, ac species ipsa signi, cur enim æquè benè non poterit Angelus loquens, formare species secreti sui conceptus, quàm signum illius: si autem non exigitur species, sed ipsum immediatè cognoscitur, ergo & ipsum secretum, imò & quodlibet aliud obiectum poterit cognosci ab Angelo sine specie. Imò si ab initio sunt infusa à Deo species omniū illorum signorū, quæ tunc excitantur à Deo, quando formantur signa; facilius erit dicere species secretorum productas esse à Deo,

Loquuntur Angeli mutuo.

Loqui possunt simul pluribus.

Quatuor ad loquutionem requiruntur.

Signa corporea.

Signa spiritualia.

Reijciuntur signa corporea.

Reijciuntur signa spiritualia.